

## Quid continet epilogus?

Epilogus recitat impulsivas et finales causas, propter quas petimus nos exaudiri. Impulsivae causae sunt, quia tuum est regnum et tua potentia, finalis causa significatur appellatione gloriae Dei. Tandem additur epiphonema plenum fidei, „Amen“, quod significat certo statuendum esse, nos propter mediatorem exauditos esse. 5

## Explica pondera verborum in exordio

„Pater noster, qui es in coelis“.

[97:] „Pater“ hoc loco est essentiae nomen non tantum vnius personae. Nam omnis inuocatio vera, qua fit ad Deum, semper intelligatur complecti Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Deinde appellatio Patris monet nos de fide et de promissionibus. Postremo admonet nos de magnitudine amoris Dei erga nos. „Sicut enim Pater miseretur filiorum, sic dominus miseretur timentium se“, Psalm. 103.<sup>182</sup> 10

---

<sup>182</sup> Ps 103,13.